50 a

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
IOANNES GOTTLOB WEIDLERVS
I. V. D. SAXONICI IVRIS PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS ET IVRECONSVLTORVM
ORDINIS ASSESSOR

LECTORIBVS
S. P. D.

Digitized by Google

Praecedentem de *Confuſione* et *conſolidatione* diſputationem, ab ornatiſſimo Candidato, nuperrime, in ſcriptis oblatam, perluſtranti in mentem mihi uenit opportune alia quaedam ſpecies confuſionis, quae natura quidem ſua ab illa prorſus differt, ſed in foris tamen noſtris pariter, atque uicinarum prouinciarum, frequenter occurrit, et in Actis ad Ordinem noſtrum miſſis ſemel iterumque a me fuit obſeruata, confuſionem puto iurium, ſeu, ut clarius loquar, *praepoſteram illam peruerſamque iuris patrii cum legibus peregrinis commixtio-*

nem, illarumque ſiniſtram ad facta controuerſa applicationem. In quo iuris articulo quam turpiter ſaepe in iudiciis, praeſertim inferioribus, erretur, quotidiana docet experientia, ita ut in hoc Augiae ſtabulo purgando Dicaſteria non niſi maximo cum taedio ſaepiſſime, ac ſerie nunquam fere interrupta, occupentur. *Confundere* igitur iura hoc loco mihi dicuntur omnes ii, qui ordinem iurium, in decidendis fori controuerſiis obſeruandum, uel inuertunt, uel obſeruantias legesue germanicas, a genio Romanorum prorſus alienas, e iure Ciuili explicare, modo extendere, modo reſtringere conantur. Ex qua deſcriptione per ſe patet, mihi in praeſentiarum ſermonem haud eſſe de ſingulari illa confuſione, cuius mentionem facit Illuſtris de LEYSER, in *Meditat. ad Pandect. Vol. X. Spec. 646. p. 328.* ubi a ſuperſtitione maiorum recedens, ingenue fatetur, inter alia, quibus corpus iuris Iuſtinianeum laborat, uitia et hoc eſſe, quod fines iuriſprudentiae legislatoriae, conſultatoriae et iudiciariae paſſim confundantur, addito uoto, ut tandem aliquando tollatur iſta confuſio, et finium quaſi regundorum iudicium inſtituatur. Licet enim hic iuris Romani naeuus multa imo innumera mala in fora noſtra inuexerit, inſtituti tamen praeſentis ratio temporisque penuria, ut pro dignitate hoc argumentum perſe-

perſequar, haudquaquam permittunt. Miſſa igitur hac, de iſta potius, quam ſupra deſcripſi, confuſione mentem meam breuiter exponam. Scilicet cum Germania noſtra, ſpeciatimque Saxonia, uariis utatur iuribus, tam patriis, quam peregrinis, magna omnino opus eſt circumſpectione, in applicatione illorum ad dirimendas lites, ne fines utriusque iuris temere confundantur, ſed neceſſe eſt, ut iuſtus ubique ſeruetur ordo, cuius ſumma capita hac potiſſimum regula continentur: In diſceptationibus forenſibus reſpiciendum eſt primo ad conſuetudines et ſtatuta cuiusuis loci, et his deficientibus ad leges prouinciales, tam antiquas, quam recentiores, deinde ad iura imperii, eaque ſiue ſcripta ſiue non ſcripta, ac denique in ſubſidium ad iura illa extranea, Romanum, Canonicum et Longobardicum. Quae doctrina licet tam clara atque perſpicua ſit, ut nulla prorſus explicatione indigere uideatur, in praxi tamen, neſcio quo fato, uel parum, uel nihil curatur. Admittunt etiam hunc ordinem, imo praeſcribunt illum, tam aduocatis, quam iudicibus, maximi nominis ICti, inter eosque illuſtris olim BERGERVS in *Oecon. Iur. Lib. I. Tit. I. Theſ. XXVIII.* Verum enim uero, ſi ipſa Germaniae fora ſpectes, ordine prorſus inuerſo et iudices et patronos cauſarum ſaepe

numero procedere animaduertes. Nam placita Romanorum Germanis, extranea patriis, antiqua nouis, obſoleta utilibus, ſacra profanis, et, ut paucis multa complectar, ſumma imis miſcent, quo ſe uertant, et utrum ex iure ſubſidiario, an ex domeſtico, deciſionem rei controuerſae petere debeant, neſcientes. Quam late igitur pateat inepta haec iurium mixtura, et quot ſpecies illius dentur, in propatulo eſt, ac quilibet rerum forenſium gnarus, uel me tacente, perſpiciet. Quapropter exemplis atque reſponſis Ordinis noſtri rem indubitatam et cuiuis obuiam illuſtrare, ſuperuacaneum eſſe arbitror. In originem potius mali huius inueterati ut inquiram, mearum eſſe partium duco, quae quidem non ex longinquo petenda mihi uidetur. Nam, niſi me omnia fallunt, ex triplici potiſſimum fonte manauit infelix illa et abſona iuris patrii et peregrini commixtio, partim ex nimia atque ſuperſtitioſa iuris Romani ueneratione, et neglectu Germanorum Saxonumque legum ac conſuetudinum, partim ex errore illo populari, ſtatuta ac iura prouincialia ita declaranda et reſtringenda eſſe, ne nimis recedant a iure communi ſubſidiario, partim ex praeconcepta illa opinione, quod antiquum ius Saxonicum hodie eatenus ſaltem valeat, quatenus uſus eius et obſeruantia

tia ab allegante probari queat. Ne autem temere uel partium ſtudio et iuris patrii extollendi cauſa haec proferre uidear, non meis, ſed maximi nominis ICtorum, uerbis errores modo dictos caſtigabo. Ita enim Meuius ad Ius Lubecenſe ratiocinatur: Eſt aberrandi cauſa, quod iudices defectum patrii iuris explere uolunt per iuris Romani leges, non intelligentes, harum rationes ab illius regulis et rationibus multum diſtare, ideo inepte applicari; neque magis ex iſtis noſtra explicare, quam ex priſtinis Romanorum inſtitutis immutatam reipublicae formam regere et definire uelle. Cum quo conſentit CARPZOVIVS in *Pract. Crim. Part. III. Quaeſt. CIX.* dicens: Qui iuriſdictionis modernae notionem, iuris Romani peritia, Bartoliue et ſequacium traditionibus fretus, euoluere tentauerit, nec ſtatum reipublicae eiusque iura fundamentalia politico liſtrauerit iudicio, is aedepol ab aſino lanam quaeret, operamque omnem perdet ac oleum, cum multum interſit inter id, quod fuit, et id, quod nunc eſt. His adſtipulatur BEYERVS in *Delin. Iuris Ciu. praef.* Hanc denſam ſatis ignorantiae ſegetem, hunc probroſum omnibus Germanis neglectum peperit communis opinio, Leges Saxonicas et Alemannicas nullius uſus eſſe, niſi quouſque earum receptio

ptio hodierna probari poſſit. Tandem agmen claudat teſtimonium omni exceptione maius, quod in elegantiſſima illa diſputatione, *de Superſtitione iuridica*, *Cap. III. §. VII*, legitur: Quid autem in praxi interſit, leges ex propriis declarare, an alienis principiis, tunc demum plenius intelligitur, cum eiuſmodi caſus occurrunt, ubi alter ex iure Romano, alter ex rationibus domeſticis, obiectum controuerſum interpretari conatur, etc. Et paulo poſt: Vulgaris opinio, quod iura Saxonica ex iure ciuili ſint declaranda, aut plane reſtringenda, nullo fundamento nititur, niſi ueteri illa ſuperſtitione, qua multi ius Romanum uelut oraculum uenerantur, nec latum ab eo unguem diſcedunt. *Stat iuri Saxonico ſua auctoritas prae iure ciuili in locis, ubi antiquitus illud obtinuit*, nec iuris ciuilis ibi alia, quam ſubſidiaria erit auctoritas, niſi probatum, exploſas eſſe Saxonum conſuetudines, et ius ciuile ibi excluſiue eſſe receptum.

Verum enim uero longius nunc excurrere haud licet, adeoque in rem praeſentem, cuius cauſa hanc ſcriptionem ſuſcepi, uenio. Nempe, officii cauſa, NOBILISSIMI ORNATISSIMIQVE CANDIDATI NOSTRI uita, more a maioribus accepto, repraeſentanda eſt, cuius curriculum uerbis Ipſius narrabo: Ego.

Ego, CAROLVS FRIDERICVS TRIER, *natus ſum Dreſdae III. Iduum Auguſti A. P. S.* cIↄIↄCCXXVI, *patre* PHILIPPO FRIDERICO TRIER, *Potentiſſimo Poloniarum Regi et Electori Saxoni a Conſiliis aulicis et metallicis, matre uero* IOANNA FRIDERICA, *filia* GEORGII GOTTLIEB RITTERI, *in Aula Sereniſſimi Poloniarum Regis Vice-Cancellarii, qui, cum, tertio huius ſeculi decennio, apud Friſios orientales, Commiſſarii Caeſarei partes obiret, ibidem defunctus eſt. Auus paternus fuit* IOANNES FRIDERICVS TRIER, *etiam Conſiliarii Aulici dignitate et munere conſpicuus. Glorior ceterum, me, cognationis iure, ad gentem* CARPZOVIAM *pertinere, ſiquidem inter proauos maternos numero* SAMVELEM BENEDICTVM CARPZOVIVM, *in Aula Regis Poloniae ſummum ſacrorum Antiſtitem, et Senatus eccleſiaſtici Aſſeſſorem. Optimi parentes, quod gratiſſima mente agnoſco, ſtatim a teneris annis me ſtudiis humanioribus, linguarum etiam uariarum aliqua ſcientia, a domeſticis praeceptoribus imbui, ſedulo curarunt. Hac inſtitutione uſque ad annum aetatis decimum octauum uſus, iuſſu Parentum, mei ſemper amantiſſimorum, in Academiam Lipſienſem, adiuncto mihi Ephoro,* SCHEIDTIO, *me contuli, ubi fere per*

quadriennium commoratus, Praeſtantiſſimos Viros, ſcientiarum interpretes, audiui, nempe in Philoſophicis, KAESTNERVM, BELIVM *et* WERNSDORFFIVM, *in Mathematicis* HEINSIVM *priuatim, priuatiſſime uero* STOYVM, *et in Algebraicis* OECHLITZIVM. *Iurium ſcientiam mihi tradiderunt* IOANNES IACOBVS *et* GOTHOFREDVS, MASCOVII, GOTHOFREDVS LVDOVICVS MENCKENIVS, SIEGELIVS, ZOLLERVS *et* IOACHIMVS. *Nec, citra ingrati notam, praeterire poſſum, me, per hoc quadriennium, in hoſpitio et conuictu Illuſtris Domini* FRIDERICI OTTONIS MENCKENII *egiſſe, eiuſdemque ex colloquiis, quibus quotidie intereſſe dabatur, magnum fructum cepiſſe, cuius quidem rei, multa animi cum oblectatione, recordor. Tum maxime hic memorandus mihi uenit Honoratiſſimus Patruus,* CAROLVS FRIDERICVS TRIER, *Sereniſſimi Regis Poloniae Conſiliarius Aulicus, et Ampliſſimi Litſienſium Senatus Proconſul, cuius in me collata beneficia, amoriſque uere paterni documenta, cum aeſtimo, non poſſum non, quin animum gratiſſimum publice profitear. Finito deinceps academico ſtadio, operam nauaui, ut rem metallicam, etiam qua artem metalla igne liquefaciendi et purgandi comprehendit, in ipſis, qui metallifodinis celebres*

ſunt,

ſunt, locis, non in Saxonia tantum, ſed etiam in exteris prouinciis, addiſcerem. Quem in finem iter, per Germaniam, in Belgii foederati prouincias, in Angliam et Galliam, ſuſcepi. Primum quidem Vltraiecti, Amſtelodami Lugduni et Roterodami, commoratus, quicquid ibi viſu dignum, uarii generis officinas, machinas, rei nauticae apparatum, cetera, uidi, eademque uidiſſe, quod tamen abſque iactantia dictum ſit, glorior. Ad Anglos delatus, Londini, praeter reliqua, quae ab exteris luſtrari ſolent, praeſertim Societatis Scientiarum apparatum, nec non Celeberrimi Equitis, IOANNIS SLOANII, *qui nuper uita conceſſit, rerum naturalium et artefactarum collectionem, rerum tum numero, tum ordine, tum pretio, maxime memorabilem, ipſo quidem Equite non modo monſtratorem, ſed etiam interpretem, ſe praebente, attente perluſtraui. Dehinc, ſalutatis Oxonienſibus, ibidemque uiſis, Theatro Scheldoniano, Bibliotheca Bodleiana, aliisque rebus memorabilibus, in Cornwalliae prouinciam iter feci, et metallifodinas ſtanni et cupri, in regionibus urbium, Volemuti, Redruth et Truro, nec non fodinas lithanthracum Briſtolii, uidi, nec, ſaltem uidiſſe, ſat duxi, ſed aliquoties per puteos deſcendi, ut uenarum et fiſſurarum indolem accuratius explorarem. Pro-*

 fectus

Digitized by Google

fectus deinde in Galliam, inter Pariſios, per aliquod temporis ſpatium, uerſatus, Phyſicam experimentalem, primo quidem a Celeberrimo Domino PAGNY, *Collegii Mazarinaei Profeſſore, tum etiam ab Experientiſſimo* NOLLETO, *mihi tradi curaui. Neque praetermittere poſſum, me Illuſtris Equitis de* REAVMVR, *quem iteratis uicibus adire licebat, collectiones, ex omni rerum naturalium genere, uidiſſe. Finito tandem, per exoticas prouincias, itinere, per Hercyniam ſyluam, luſtratis argenti, cupri et plumbi, metallifodinis, quae in Brunſuicenſium terris florent, menſe Maio huius anni, ad patrios lares, quod Dei immortalis beneficio acceptum fero, ſaluus redii. Primum mihi, poſt reditum, amantiſſimi Patris ſuaſu, negotium ſumſi, ut Doctoris utriusque iuris inſignia et honores ambirem. Hac nimirum mente, celeberrimam hanc Academiam nuper adii, in qua, dici uix poteſt, quam beneuolos omnium in me animos expertus ſim. Praeſertim laudo ſingularem humanitatem Conſultiſſimi* CHLADENII, *Profeſſoris Iuris Feudalis Celeberrimi, qui me, aduenam, non modo in hoſpitium commodiſſimum recepit, ſed etiam recepto tot amoris documenta dedit, ut eorundem recordationem mente nunquam ſim dimiſſurus. Nec ſilentio praetereo, admodum beneuolum ſe mihi*

praebuiſſe

Digitized by Google

praebuiſſe Excellentiſſimum BOSIVM, *Profeſſorem Phyſices Experientiſſimum, qui, uti inter commenſales ſuos locum, ita ſimul ampliſſimam occaſionem, mihi dedit, ex doctiſſimis eius colloquiis uberem fructum capiendi. Maxime uero habeo, ut laudibus efferam inſignem beneuolentiam* ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS, *qui, cum inſignia Doctoralia mihi expeterem, petitis mox annuit, meque ad exhibenda, quae a Iurium Candidatis praeſtari ſolent, ſpecimina gratioſe admiſit. Faxit Deus immortalis, cuius Numen mihi ſemper propitium expertus ſum, ut idem hoc negotium, quod, bono cum omine, ſuſcepi, felicem etiam exitum ſortiatur.*

Quam laudabiliter itaque uixerit CANDIDATVS ORNATISSIMVS NOBILISSIMVSQVE, et quanta mentis religione domeſtica imitatus ſit exempla, ueſtigiaque inprimis paterna preſſerit, ex ipſa eius relatione ſatis apparet, adeoque exemplo ſuo demonſtrat, uirtutem maiorum uiuere in poſteris, atque igniculis quaſi inflammare animos, ut, aemulandi ſtudio incenſi, ad paria dignitatis faſtigia connitantur. Qua mente haud ita pridem in hanc delatus Academiam, ab ORDINE NOSTRO petiit, ut, praeuiis ſcientiae legalis ſpeciminibus, ſummis in

in iure honoribus, ritu formulaque ſolenni, ornaretur. Annuit uotis eius honeſtiſſimis ORDO, illumque ad tentamen pariter ac ad examen rigoroſum, ut uocant, admiſit. In utroque colloquio VIR OPTIMVS ſtetit egregie, et non impleuit ſolum ſpem noſtram, ſed longe ſuperauit, ad quaeſtiones propoſitas promte ac erudite reſpondendo, nec non textus ex iure Ciuili atque Canonico tam ſcite ac eleganter explicando, ut ſpem nobis fecerit certiſſimam, fore, ut ultimum, quod aditum ipſi ad ſummos honores pandit, ſpecimen, conſimili laude ſit editurus. Reſtat nimirum, ut, more inſtitutoque maiorum, in publicum prodeat, et futuro die Veneris, Praeſide *Viro Illuſtri atque Excellentiſſimo*, GEBHARDO CHRISTIANO BASTINELLERO, *Potentiſſimi Poloniarum Regis et Principis Electoris Saxoniae Conſiliario Aulico, Codicis Profeſſore Publico, Curiae Prouincialis et Senatus Eccleſiaſtici, itemque Scabinatus et Facultatis Iuridicae Aſſeſſore longe meritiſſimo, Patrono et Collega noſtro multis nominibus colendo*, Diſputationem inauguralem, de *Confuſione*, in Auditorii Maioris cathedra defendat. Quam Panegyrin ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PATRES CONSCRIPTI,

OMNIVM

OMNIVMQVE ORDINVM DOCTORES ET ASSESSORES AMPLISSIMI, HOSPITES, CIVES ITEM GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE, honorifica et optatiſſima praeſentia ſua condecorare, actuique ſolenni lucem foenerari haud dedignentur, ORDO NOSTER, me interprete, omni, qua par eſt, obſeruantia rogat et obteſtatur, ſimulque pollicetur, ſe nihil unquam praetermiſſurum eorum, quae ad officia mutuo declaranda pertinere uidebuntur. P.P. ſub ſigillo Facultatis Iuridicae, Dominica XII. poſt Trinitatis, anno reparatae ſalutis MDCCL.

VITEMBERGAE
STANNO SCHLOMACHIANO

Digitized by Google